

terminum, qui est distinctus ab ipso producente. Qua ratione Concilium non dixit ubi supra, quod Pater communicat Filio virtutem spirativam, sed quod habet Filius a Patre hoc ipsum quod Spiritus sanctus ab eo procedat, id est, ipsum actu procedere habet a Patre. Et Augustinus xv de Trinitate, cap. xxvii: « Hoc, inquit, Pater Filio dedit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. » Et hoc modo intelligitur quod virtus illa non est in actu primo, neque ut potentia respectu actionis, seu actus secundi, sed est virtus respectu termini, id est, respectu Personæ procedentis, sicque communicatur Filio a Patre virtus spirativa in actu secundo, et ipse actus secundus quantum ad actualitatem intelligitur ordine originis prius in Patre, et sic communicatur Filio, ita quod nullo modo est in potentia ad actum secundum, considerata essentialiter. Sed tamen respectu termini producendi, qui est Persona, sic illa virtus spirativa non intelligitur terminari exercite et in facto esse ad Spiritum sanctum, nisi prout est a Filio simul cum Patre et notionaliter terminata. Itaque virtus spirativa essentialiter, seu quoad actualitatem et perfectionem absolutam in actu secundo, est in Patre prius origine, quam in Filio; et sic prout in actu secundo communicatur Filio. Notionaliter vero, id est, prout relative et processionally terminata ad Personam Spiritus sancti solum communicatur ut virtus, non ut in exercitio terminata, quia non exercetur spiratio notionaliter, nec terminatur, ad Spiritum sanctum prius a Patre quam a Filio, sed simul ab utroque: licet autem in Deo non sit potentia et virtus respectu actionis, seu respectu actus secundi, bene tamen respectu termini, qui procedit ut distinctus a suo principio; actus vero secundus

non distinguitur ab actu primo, ut supra disp. iv et xi, tractatum est, et expresse docet S. Thomas infra quæst. xli, art. iv.

XXXIV. Ad secundum fundamentum distinguo antecedens. Potentia spirativa est formaliter potentia duorum suppositorum, distinguo; cum communicatione unius ex alio, et derivatione ab una Persona in aliam, concedo; æque innascibiliter et immediate in utraque, nego. Itaque potentia illa petit existere, et operari in duobus suppositis, non tamen in sui emanatione, et resultantia petit immediate resultare in duobus, sed ex uno communicari ad aliud. Et ita est potentia ad amorem mutuum et amicabilem, repugnatque existere, et operari in una Persona tantum quantum ad sui existentiam et subjectum proprium, sed quantum ad sui derivationem et resultantiam non repugnat prius origine esse in una Persona tamquam in principio, et subjecto inadæquato ad communicandum illam alteri Personæ, non ut in subjecto ad existendum et denominandum complete et adæquate, et ad operandum terminative notionaliter.

ARTICULUS V.

Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu sancto?

I. Ista difficultas multum pertinet ad modum loquendi, quia sic communiter loqui solent theologi cum magistro in i, dist. xxxii, idque sumpserunt ex Augustino, qui hoc sæpe in libris de Trinitate usurpat, præsertim lib. vi, cap. v, et lib. xv, cap. xvii, eamque defendit S. Thomas quæst. xxxvii, art. ii, et communiter alii scholastici. Ejus vero difficultas insinuata est a D. Thoma loco citato, quia cum ponitur cons-

tructio ablativi, semper significari solet aliqua ratio causæ formalis, vel saltem causæ activæ efficientis, non autem ratio termini producti, vel effectus, verbi gratia cum dicitur homo est albus albedine, est videns visione, importatur ibi ratio causæ formalis in illo ablativo: cum autem dicitur homo intelligit intellectu, artifex operatur manu, vel operatur arte, intelligitur ibi habitudo causæ efficientis. Neutra autem habitudo intelligitur, cum dicimus quod Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto. Non enim intelligitur habitudo causæ formalis, quia Spiritus sanctus non informat Patrem, et Filium, cum non identificetur cum illis, neque illis inhæreat, sed opponatur illis, forma autem non opponitur subjecto. Neque etiam importatur habitudo causæ efficientis, quia Spiritus sanctus non est principium in Patre et Filio producendi amorem, sed est terminus productus: ergo nullo modo verificari potest, quod diligant se Spiritu sancto.

II. Ad hæc sunt aliquæ propositiones similes isti, quæ nullo modo verificari possunt, et valde difficilis redditur disparitas inter illas et istam: sicut hæc est falsa: Pater intelligit Verbo, generat Verbo, spirat Spiritu sancto: ergo etiam non erit vera ista propositio: Pater diligit Filium Spiritu sancto. Quid enim aliud est diligere quam spirare in Patre et Filio? Et D. Augustinus illam propositionem: Pater est sapiens sapientia genita, retractavit in ii retractationum, cap. xxvi. Ergo etiam hæc erit falsa: Pater est diligens Filium Spiritu sancto, vel diligunt Spiritum sanctum Spiritu sancto: omnes enim ejusdem rationis sunt, et similis formæ, quia non important habitudinem causæ formalis. Et licet hæc concedatur: Pater dicit seipsum Verbo; hoc tamen

ideo est, quia in Verbo importatur habitudo repræsentationis ad objectum: at vero in ly diligere, etiam notionaliter sumpto, non importatur habitudo repræsentationis ad objectum, sed solum habitudo ad ipsum diligentem: habitudinem autem ad objectum dilectum non habet Pater medio Spiritu sancti, sed prius origine per amorem quem habet in se diligit objectum, et spirat Spiritum sanctum, non vero per ipsum Spiritum sanctum qui est terminus passive, et terminative procedens, diligit objecta.

III. Propter hoc ista propositio varie a diversis auctoribus exposita est. Nam D. Thomas in quæstione xxxvii, art. ii, quinque expositiones illius propositionis affert, et rejicit; et plerique detorquent illam ad sensum improprius, et aliqui etiam falsam existimarunt illam propositionem absolute, et retractatam esse ab Augustino in sua simili, quando negavit Patrem esse sapientem sapientia genita: nam pari modo non est diligens dilectione spirata. Alii vero in alio extremo dixerunt, quod Pater diligit Filium Spiritu sancto, secundum habitudinem causæ formalis, quia Spiritus sanctus est amor, quo Pater et Filius mutuo se diligunt. Alii vero voluerunt eam propositionem salvare secundum improprius sensus dicendo, quod Pater diligit Spiritu sancto, id est, amore essentiali qui appropriatur Spiritui sancto. Ad quod reducitur quod alii dicunt, sensum illius propositionis esse, quod Pater et Filius diligendo se spirant Spiritum sanctum. Alii vero exponunt quod diligunt se Spiritu sancto quasi signo amoris, quia productio Spiritus sancti est signum quod se diligunt. Ad quod etiam accedit expositio, quam ex Richardo de S. Victore refert Sua-

rez lib. xi de Trinitate, cap. iii, num. vi, quod Pater dicitur diligere Spiritu sancto, non quod per eum amorem habeat, sed quod exhibeat, non quod per eum amorem accipiat, sed impendat; quam explicationem Suarez tamquam piam, et probabilem admittit, et ad sensum proprium pertinentem, cum tamen impendere amorem, et exhibere magis pertineat ad effectum, et signum amoris, quam ad ipsum amorem formalem. Et licet explicari posset quod erga creaturas Pater et Filius impendunt amorem per Spiritum sanctum, tamen quid Pater impendat Filio, vel Filius Patri per Spiritum sanctum explicari non potest.

IV. Quare melius alii, quorum sensum sequitur D. Thomas et in illum tandem convenit Suarez, hanc propositionem admittunt, ut jacet, et explicant illam non in sensu causæ formalis extrinsece, quasi Spiritus sanctus sit id quo Pater et Filius diligunt, sed in sensu rei, seu termini producti, quatenus potest habere rationem causæ formalis extrinsece terminantis, quod non contingit in omni effectu, seu termino producto per actionem; sed quando concurrunt aliquæ conditiones, quas statim explicabimus. Supponit tamen hæc expositio propositionem illam, ut jacet esse admittendam, quia ita habetur in Augustino lib. vi de Trinitate, cap. v, quem citat D. Thomas citato loco in argumento: Sed contra. Et tamen Suarez loco allegato num. iii, dicit fortasse non inveniri formaliter in Augustino: cum tamen expresse Augustinus dicat: « Quod Spiritus sanctus est quo uterque conjungitur, quo genitus a gigante diligatur, generantemque suum diligat. » Clare ergo deducitur illam propositionem esse Augustini.

V. Ut autem proprium ejus sensum

explicemus, dicendum est locutionem istam non verificari in sensu causæ formalis intrinsece, et per modum principii quo, quasi Spiritus sanctus sit forma qua Pater et Filius se diligunt: sed verificari, quod diligunt se Spiritu sancto quasi termino producto; quia hoc ipso induit aliquem modum formæ respectu diligentis, saltem per modum formæ terminantis, eo quod, ut probatum est in ratione dubitandi, ablativus ille semper construitur in ratione alicujus causæ formalis: sed non semper exigitur causa formalis intrinseca, sed sufficit aliquando terminativa, qualis inveniri potest in effectu, seu termino producto respectu sui agentis, sicut arbor dicitur florere floribus, et homo dicitur loqui historiam verbo.

Cæterum, quia non in quacumque actione contingit quod terminus ejus possit denominare per modum formæ ipsum agens a quo producit, oportet quod ad hoc concurrant tres conditiones, et si aliqua desit, non verificatur prædicatio in sensu ablativi.

VI. Prima est, quod in ipso verbo ex quo fit propositio, significetur productio, alioquin non fiet denominatio a termino producto.

Secunda, quod etiam effectus ipse, seu terminus productus importetur determinate in significatione propositionis et verbi, alioquin non fiet ab illo denominatio. Nec sufficit importare illum quasi in communi, et in confuso, sicut quæcumque actio respicit effectum generaliter, sed per modum determinati, et specificativi termini, ratione cujus aliquo modo induat modum causæ formalis, et non maneat in pura ratione effectus.

Tertia conditio est, quod effectus, seu terminus productus importetur cum aliqua habitudine ad denominandum agens in se, vel ut per ip-

sum terminum productum tendat ad aliquod objectum ad quod agens respicit per suum terminum. Quæ conditiones desumuntur ex D. Thomas citato loco, in corpore articuli et ad ii et iii, v. g. arbor dicitur florere floribus, non tamen producere flores floribus: dicitur aliquis diligere amicum amore, dicere historiam verbo, non tamen dicitur amore producere amorem, verbo producere conceptum, seu intellectionem, quia ly producere non importat ad terminum productum nisi respectum, et ordinem agentis ad terminum, ubi sistit actio, non tamen respicit terminum ut medium, vel causam, qua mediante agens denominationem aliquam accipiat, vel tendentiam ad aliquod objectum, mediante illo termino attingendo. At vero cum dicitur arborem florere, importatur emissio florum, non quomodocumque, sed ut vestiunt arborem, et denominant illam floridam. Similiter in hoc verbo diligere sumpto notionaliter, importatur non solum productio amoris, sed etiam tendentia per amorem productum ad rem dilectam, ut S. Thomas dicit citata quæstione xxxvii, art. ii ad iii. Similiter dicere importat productionem verbi, non quomodocumque, sed ordinando verbum ad repræsentandum, et exprimendum rem dictam, quod tamen non importatur in ly intelligere, seu in hoc quod est esse sapientem, vel intelligentem, quia ly sapiens, aut intelligens solum explicant ordinem ad objectum, non ad verbum productum, et dictum.

VII. Quia ergo Spiritus sanctus est terminus spiratus per amorem est terminus spiratus per amorem tamquam pondus, et inclinatio erga rem amatam, sicut verbum est terminus expressus per cognitionem repræsentans rem dictam, et intellectam, ideo dicuntur Pater, et Filius diligere rem amatam, scilicet

seipsos, et alia Spiritu sancto, sumendo ly diligere notionaliter, ut dicit D. Thomas, non pro diligere essentiali: sic enim non diligunt se Spiritu sancto, sed amore essentiali, sicut nec Pater intelligit Verbo, licet dicat et exprimat Verbo rem repræsentatam in illo. Et sic est sensus quod Pater, et Filius Spiritu sancto tamquam pondere, et inclinatione mutua tendunt amore in seipsos. Ubi jam explicatur aliqua ratio causæ formalis saltem per modum termini, quo mediante tenditur in objectum: non tamen dici potest quod producunt Spiritum sanctum ipso Spiritu sancto, nec verbum producere verbo, quia in ly producere non importatur ille ablativus, nisi ut forma, et principium quo, non ut terminus; nec in verbo procedere importatur nisi ordo agendi ad effectum, seu terminum in ratione termini producti, non tamquam ad medium, quo tendat ad ulterius objectum, et sic diversa appellatio importata in denominatione de ly produco vel de ly diligo efficiunt in hac parte hanc diversitatem propositionum. Ac denique non est concedendum quod Spiritus sanctus diligat Patrem, vel Filium, aut alia Spiritu sancto, quia non comparatur ad seipsum, ut ad terminum productum, vel ad causam formalem amoris notionalis, neque ipse notionaliter spirat Spiritum sanctum, sed solum amore essentiali diligit Patrem, et Filium, et seipsum. Cum autem dicit D. Thomas in hoc articulo secundo, quod diligere notionaliter nihil aliud est, quam spirare amorem, non vult dicere, quod est solum producere, sed in ly spirare involvitur etiam tendentia ad rem amatam, quia spirare amorem amare est. Plura videri possunt apud Cajetanum in hac quæstione xxxvii, art. ii, ubi respondet objectionibus Scoti in i, dist. xxxii, q. i, contra

sententiam D. Thomæ, quæ tamen ex dictis solvuntur.

Unde patet responsio ad rationes dubitandi a principio propositas.

VIII. Ad primam dicitur verum esse quod Spiritus sanctus non potest importare, nec significari in vi causæ formalis intrinsecæ reddentis Patrem et Filium diligentes, bene tamen potest habere habitudinem causæ formalis terminativæ, quatenus ad ipsum Patrem et Filium comparatur tamquam terminus quidam productus per modum ponderis, et inclinationis, et consequenter ut medium uniendi in affectu ipsum objectum dilectum Personæ diligentis, quod sufficit, ut in constructione ablativi possit prædicari de ipsis Personis diligentibus talis prædicatio. Ad hunc autem modum causæ formalis non requiritur identificatio vel inhærentia, sed potius terminatio, et passiva processio per modum termini producti distincti.

Ad secundam dicitur quod illa propositio: Pater est sapiens sapientia genita negatur, quia in ly sapiens, et intelligens non importatur aliqua actio notionalis respiciens terminum productum, sed solum actus absolutus respiciens objectum intellectum, ad intellectionem autem absolutam Pater non indiget

Verbo, sicut nec ad amorem absolutum Spiritu sancto, autem ly intelligere significaretur notionaliter, sicut ly dicere, ly exprimere, tunc bene concederetur quod Pater dicit Verbo res intellectas, exprimit illas Verbo, etc. diligere autem etiam notionaliter significatur, et non solum essentialiter. Illa autem propositio: Pater generat Verbo, spirat Spiritu sancto negatur, quia ibi solum significatur habitudo producendi terminum, quod utique fit forma intrinseca, et principio, non mediante termino significatur respectus tendendi ad aliud objectum, vel denominandi ipsum agens, sed præcise attenditur habitudo effectus, vel termini producti. Et falsum est in amore spirato non importari habitudinem ad objectum amatum, sicut in Verbo ad objectum representatum, quia, ut dicit D. Thomas loco citato, dilectio notionalis dicit habitudinem ad Personam productam per modum termini, qui dicit ordinem ad rem dilectam. Amor ergo cum sit impulsus ad rem amatam, dicit habitudinem ad tale objectum, non per modum representationis, sed per modum ponderis, et inclinationis, sicut verbum per modum expressionis, in quo datur respectus ad objectum, et idem est in amore spirato.

QUÆSTIO XXXIX.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

SUMMA LITTERÆ.

Ab hac quæstione incipit agere D. Thomas de comparatione Personarum in quibus quintuplex comparatio considerari potest.

Prima est Personarum ad essentiam cum qua identificantur.

Secunda, per ordinem ad proprietates quibus in esse personæ constituuntur.

Tertia, in ordine ad actus notionales quia Personis emanant, vel per quos emanant Personæ.

Quarta, ipsarum Personarum ad invicem.

Quinta, ipsarum Personarum ad creaturas.

Primam comparationem expedit S. Thomas in hac quæstione xxxix. Et consistit hæc comparatio in hoc quod Personæ ita comparentur ad essentiam quod sint idem cum ipsa, et consequenter tres Personæ, sint ejusdem essentiæ, quod in articulo primo probat ex divina simplicitate, et ex alia parte, quia relationes non sunt accidentia; unde sequitur quod sine compositione sint idem cum essentia quantum ad rem, sint autem distinctæ quatenus oppositæ inter se. Quod vero sint unius essentiæ tres Personæ, et una essentia trium Personarum probat, quia secundum nostrum modum significandi, et intelligendi natura in divinis significatur ut forma, et persona ut suppositum habens illam; et ideo potest dici quod Personæ sunt unius essentiæ tamquam formæ, et quod essentia est trium Personarum tamquam ab illis suppositata, et formata. Et hoc ostendit articulo secundo.

Ex hoc vero sequuntur duo, quæ per sex articulos sequentes latius tractat D. Thomas.

Primum, quomodo sit facienda prædicatio inter nomina essentialia, id est, significantia essentiam absolutam, et notionalia significantia Personas relativas, vel ea quæ ad relationes pertinent: quia licet sint idem secundum rem, et identice Persona, et essentia, tamen secundum modum significandi differunt. Et sic explicant quomodo ista prædicatio sit facienda. Quod præsertim habet difficultatem in duobus. Alterum est, quantum ad multiplicationem, vel unitatem, quomodo, scilicet multiplicanda sint nomina, vel non multiplicanda, quando dicuntur essentialia de Personis: Alterum est, quoad modum significandi in concreto, et in abstracto, quomodo possint ad invicem prædicari, vel supponere essentialia nomina pro Personis, et prædicari, tum in concreto, tum in abstracto.

Secundum est, quomodo nomina essentialia sint approprianda Personis, eo quod essentialia attributa Dei sunt nobis magis manifesta ex creaturis, quam Personæ, et ideo aliqua essentialia attributa appropriamus Personis, ut per ea melius manifestentur quoad nos, sicut Patri appropriatur omnipotentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas, seu amor. Hoc se-